


10  
/  
139
















00

Mors certa <sup>1</sup>Vivis est <sup>2</sup>Vivis,  
Sed hora nil incertius.

<sup>3</sup>Verfus.  
Mors <sup>1</sup>certa. est <sup>2</sup>Vivis, Sed nil  
incertius hora.



11  
Iohannes Georoin's Sternhain,  
ser, Eshenbadensis Palatino,  
banar, Witeberga Aeg. 26 Junij

*Labore dñi. veridmit oia.*

*Ms. 3283/*

*Empag 39 M.*




0  
H  
//  
Jm

SM








































Original Kopie

100 60

~~100~~

~~100~~





(3)  
ORATIO,  
RECITATA A  
DECANO COLLEGII  
PHILOSOPHICI, IN ACADEMIA  
VVitebergensi, Magistro  
Iohanne Knor Hächstetensi,

CVM DECERNERETUR  
gradus Magisterij Philosophici,  
quadraginta septem honestis &  
doctis viris, quarta die Martij,  
Anno 1561.



VVITEBERGÆ,  

---

M. D. LXI.



*AD CLARISSIMUM,  
PIETATE, SAPIENTIA,  
doctrina et virtute præstantē virum,  
D. Magistrū Paulum Prætoriū &c.  
Dominum & Patronum suum  
reuerenter colendum.*

*O*ptime Meccenas studiorum Paule meorum,  
Nomine qui decoras Marchica regna tuo:  
Si potes à grauibus mentem subducere curis,  
Aspice Leucoreæ publica scripta scholæ,  
Qualia proponit, cum docta insignia confert  
His, qui profectus exhibuere suos.  
Et quia Paule faues studijs communibus, oro  
Hæc quoq; non dura fronte uidere uelis.  
Sint licet exigua, & tanto non nomine digna,  
Sæpe etiam paruis gratia rebus inest.  
Diues opum & magnus Xerxes fuit, & tamen illi  
Fortè cauis palmis hausta placebat aqua.  
Quod superest, studijs non desine Paule fauere,  
Utq; diu possis Paule fauere, uale.

*T. Excell.*

*Deditus*

*Iohan: Knor.*



# ORATIO.



**S**I tàm ingenio valerem  
& eloquentia, quàm in-  
telligo, quantum desit mi-  
hi in vtroque, non ordi-  
rer ab excusatione imbecillitatis  
meæ, sed querelam instituerem de dif-  
ficultate deligendi conueniens argu-  
mentum, ex tanta rerum varietate  
atque vbertate, & de infœlicis seculi  
nostri moribus, qui difficultatem au-  
gent. Argumenta enim sese offerunt  
vndique. Nam & hic locus, & hoc  
ipsum anni tempus, de ijs me admonet  
viris, quos hæc Schola habuit sum-  
mos, quorum alterum genuit, alterum  
eripuit Februarius mensis. Horum,  
vt cursus, Deo gubernante, salutaris  
fuit Ecclesiæ: ita merita erga Rem-  
pub. Christianam, & decertata atque  
A 2 exhausta



exhausta pro cœlesti veritate certamina, superataq; pericula, & magno studio illustratæ doctrinæ, campos aperivnt eloquentiæ amplissimos, & magna refertos copia rerum gravissimarum, quarum commemorationem, cùm debeat memoriam & beneficijs horum virorum ac posteritati, sperarem neq; ingratham neq; inutilem esse futuram pijs & gratis mentibus. Recordatio verò præmaturi interitus utriusque, et quæ consecuta sunt mala publica, tristes dilacerationes Ecclesiarum, horribilia odia, contentiones maliciosæ magis q̄ necessariæ, acerbæ insectationes & morsus virulenti sepulcorum, causas afferunt nobis iustas querelarum, in quas, si sese dolor noster effunderet, etsi fortassè implacabilia nonnullorum odia exacerbaturæ essent, bonos tamen, & veritatis ac pacis



ac pacis amantes, non modò non offen-  
derent, sed in societatem etiam luētus  
nostri, quem consensere non patia-  
tur immatura & infelix præcocium  
scriptorum fœtura, pertraheret.  
Nostræ autem artes, quas tractamus  
& exercemus assiduè, et in quibus oc-  
cupatur omnis cura nostra atq; opera,  
quantum argumentorum suppedita-  
ret? de quibus homo facundus splen-  
didè posset dicere citra offensionem  
cuiusq;, etsi vereor, vt hoc etiam sine  
offensione fieri non possit. Eò enim,  
proh dolor, res redierunt, vt philoso-  
phicarum artium nomen in odio sit,  
mentio in suspitionem incurrat, vsus  
& cultura tolleretur agrè: vt præci-  
puorum Poëtarum, quos vetustas, vt  
sapientiæ magistros, coluit, scripta  
adolescentibus è manibus excutian-  
tur, & relegentur è scholis.

A 3 In



In cæteris, simplici Veritati,  
cuius viguit hætenus amor & stu-  
dium, impudens & turpis sophistica:  
liberaliori eruditioni, audax et iacta-  
bunda inscitia: rectè ac propriè lo-  
quendi studio, rudis & insulsa barba-  
ries: innocentie, suspiciones, vim affe-  
runt. Neq; dictum est quicquam tam  
explicatè, aut factum tam considera-  
tè, in quod non irruat atque inuadat  
mordicus invidentiæ liuor, quodue vi-  
rulentie acerbitas non conspurcet &  
inficiat, vel calumniarum violentia  
non conuellat ac deprauet. Et quæ in  
faucibus adhuc murmurant voces,  
hærentq; inter dentes, imò quæ vix  
oculis sese exerunt, occulta animorum  
sensa, priusquam proferuntur, inten-  
tissimè arripiuntur, sinisterrimè de-  
torquentur, rabiosissimè exagitantur.  
In nutus etiam omnes ac gestus cen-  
suræ



suræ aguntur, quodq̄ sapientissimum  
esse in rebus humanis sæpe iudicatum  
fuit, ac tutissimum, tacere, id iam im-  
punè non licet, Ἐ διαβολῶν ὑποφάτιες,  
quæ sunt ἄμαχοι κακοί, iuxta Pinda-  
rum, occupant animos non tantum  
promiscuæ multitudinis, cuius est  
τυφλὸν τὸ ἕτος, sed etiam sapientum.  
Si ergo Ἐ ab eloquentia instructus  
essem, et doctrinæ me atq̄ ingenij ner-  
ui non deficerent, in has exaggeran-  
das potius, quàm in me extenuandum  
atq̄ abijciendum ea expromerem. Sed  
quæ sit tenuitas ingenij mei, quæ in di-  
cendo infantia, Ἐ ego mihi conscius  
sum optimè, Ἐ nemini vestrum igno-  
tum est. Quare reuerenter vos oro,  
vt cùm elaboratum nihil atq̄ expoli-  
atum, nervosum etiam nihil, aut ex  
fontibus veræ solidæq̄ sapientiæ peti-  
tum, à me expectari sciam, cuiusmodi

A 4 illa



illa sunt, quibus animi vestri imbuti  
sunt, & assuerunt aures, vt ergo quic-  
quid id fuerit, quod à me dicetur pro-  
more & consuetudine scholæ, boni  
consulatis, & candidè interpretemi-  
ni.

Ad illa verò quod attinet, quæ  
attigi, precemini vnà mecum ardenti-  
bus votis, æternum Dei Filium, Do-  
minum nostrum Iesum Christum,  
λόγον καὶ εἰκόνα αἰδίου τοῦ αἰδίου πατρὸς,  
regnantem ad dexteram æterni Pa-  
tris, & distribuentem dona homini-  
bus, vt inter nos sibi colligat Eccle-  
siam perpetuò, & hanc Spiritu sano  
suo gubernet, atq; in ea conseruet  
illam, quam inenarrabili bonitate his  
postremis mundi delirantis tempori-  
bus accendit lucem doctrinæ & cæte-  
rarum artium, quarum præsidium  
Ecclesiam requirere, res docuit nostri  
secu<sup>m</sup>



seculi experientia: Auertat etiam cer-  
tamina & discordiarum semina &  
occasiones, quibus animi diuelluntur,  
distrabuntur in contrarias occupatio-  
nes studia, & veritas conuulsa ac ve-  
lut discerpta fluctuat, donec mersa  
extinguatur aut dissipata euanescat:  
Sanet vulnera nostra, & flectat ani-  
mos eorum, qui sedent ad gubernacu-  
la, vt quærant remedia salutaria dissi-  
dijs publicis, & caueant, ne crescant,  
neue Ecclesiæ maiora conflent peri-  
cula: deniq; vniuersos nos coniunctos  
animis, sensibus ac studijs, vno spiri-  
tu regat ac ducat, vt præeunte luce  
cælesti, directam expressè veritatis  
normam sequamur perpetuò, & hanc  
tueamur & propagemus. Priuatas  
iniurias, quanquam acerbis & indi-  
gnas commendemus Deo, & patien-  
ter feramus propter Ecclesiam, λύσαν

A 5

ΤΙΣ



τις ἐκείνας ἀνεὺ ξωδᾶς ἀνιᾶς ἢ μηδ' ἐμ νεώτερον  
γορ ἐξ αὐτῶν ἀνασκῶντες κακόν. Mala  
enim malis nec tolluntur, nec leniun-  
tur, sed exasperantur & cumulantur,  
& πρὸς οὐ σθένεται πῦρ.

Quærenti mihi autem argumen-  
tum huic loco & tempori accommo-  
datum, fateor deliberationem eam  
fuisse difficilem. Vetera sæpe repeti-  
ta gratiam non habent. Noua gigne-  
re mearum non est virium. De parte  
aliqua doctrinæ nostræ differere, tu-  
tum non est in hac licentia calumniari-  
di, & rabie ac petulantia ingeniorum  
mordicus præbendentium ac laceran-  
tium, si quid ex hac Schola prodeat,  
quantumuis piè, moderatè, prudenter,  
circumspectè & disertè dictum. Vi-  
rorum bonorum celebrare laudes &  
merita, piaculum esse censetur. Recita-  
tat Pindarus præceptum Nerei, vt  
inimici



inimici etiam laudent eam, qui res iu-  
stas & vtilis civibus gessit. Hoc fru-  
strà decantatur ijs, quos odiorum in-  
ueterata rabies eò adigit dementiæ,  
vt non tantum laudes benemeritorum  
ferre non possint, sed etiam sua autori-  
bus detrabere, & operibus, quæ reli-  
querunt apud posteritatem fidem atq;  
autoritatem derogare non vereantur.

Quamuis itaq; & instituta hoc  
in loco festiuitati conuenientius, &  
mibi laboriosum minus ac difficile, &  
de quo non dubito, toti auditorū cœtū  
fuiſſet gratius futurū, si narrationem  
instituissem repetitam ex historia eo-  
rum, quos vt meritò colimus ac vene-  
ramur: sic celebrare nullis vnquam  
laudibus satis possumus: tamen vt  
cederem tempori, hoc omisso, constitui  
pauca monere de communium stu-  
diorum fine præcipuo, & hortari ado-  
lescentes



lescentes ad considerandam & intelli-  
gendam doctrinarum omnium digni-  
tatē, atq; in primis ad eas artes magni-  
faciendas, quarum si destituantur ad-  
iumento, infeliciter maiora aggre-  
dientur. Omne studium nostrum con-  
sumitur in duabus rebus præcipuè, in  
ea sapientia discenda, et ad vsum con-  
ferenda, quæ rebus distincta artiumq;  
diuersis est generibus pertractata: &  
in eloquentiæ exercitijs, quibus res, cū  
opus est, explicantur & illustrantur.  
De vtraq; grauissima extant Plato-  
nis testimonia. Artibus hoc tribuit,  
quòd in singulas grata de Deo fama  
sparsa sit. Eloquentiæ finem statuit,  
vt dicat Deo grata. Quæ sunt ergo ve-  
stigia diuinitatis in artibus singulis,  
considerabimus.

Et sacræ literæ docent, et com-  
munis idipsum intelligentia, ratioq;  
in



in homine cōvincit, hoc mūdi pulcher-  
rimū theatrum tanta sapientia à Deo  
architecto fabrefactum, tātaq; rerum  
varietate exornatū esse hominis cau-  
sa: Hominē verò, cuius et imperio sub-  
ditum et subiectum intelligentiæ esse  
mundum voluit conditor, his diuinæ  
naturæ proprijs ornamentis, ratione  
scilicet & libera volūate, condecora-  
tum esse atq; instructum, non tantum,  
vt emineret præ cæteris naturis atque  
excelleret, sed propter δειουσιον atq;  
opificem, vt his ducibus & admini-  
stris, Deum agnosceret, & vera obe-  
dientia coleret ac celebraret. Si ergo  
tractam haustamq; ex diuinitate lu-  
cem homo non amisisset, in mentibus  
humanis velut in nitidissimo speculo  
expressissima refulsisset effigies ar-  
chetypi Vnusquisq; in semetipso oculis  
sue mentis prælucentibus infusæ diui-  
nitus



nitus lucis radijs, Deum esset conspi-  
catus: Et iisdem oculis penetrasset in  
abditas ac abstrusas rerum naturas,  
harumq; causis erutis ac discrimini-  
bus, conditoris consilium et sapiētiam  
integrè perspexisset. Deniq; imitando  
& effingendo impressæ imaginis ceu  
idæam, ad nutum et voluntatem auto-  
ris omnem obedientiæ conatum infle-  
xisset ac direxisset. Etsi verò et hanc  
sapiētiæ diuinæ lucem, labes primo-  
rum parentum lapsu naturæ influcta  
hebetavit atq; obscuravit, & imagi-  
nem archetypi fœdè aspersit: tamen  
nec illam prorsus extinxit, nec hanc  
penitus expunxit aut obtrivit. Nec  
deletis omnibus noticijs, mens humana  
nudæ tabulæ similis evasit, quam sen-  
suum perceptiones, novis consignent  
notionibus, vt censuit Aristoteles.  
Sed retinuit mens aliquid insitæ lucis,

vt



ut noticiam principiorum, ordinis,  
numerorum, discrimen veri & falsi,  
quanquam obscure illa micat veluti  
scintillula tenuis in densa caligine.  
Retinuit & vestigia quaedam absolu-  
tissime imaginis, quæ adhuc, et quòd  
sit, et qualis sit Deus, utcunque osten-  
dunt, nimirum, quòd sit intelligens,  
sapiens, omnipotens, iustus, tribuens  
æqualia æqualibus sine acceptatione  
personarum, bona bonis, mala malis,  
verax, beneficus, castus, liberrimus,  
diligens creaturas, et præsertim illud  
opus suum, in quo suam effigiem con-  
spici voluit, & flagitans, ut mens et  
voluntas nostra cum ipsius mente et  
voluntate congruat. Retinuit autem  
cum his et  $\sigma\upsilon\mu\phi\upsilon\tau\omicron\mu\delta\acute{\omega}\alpha\mu\upsilon\pi\kappa\epsilon\tau\iota\kappa\acute{\eta}\rho$ ,  
unde, quicquid est sapientiæ humanæ,  
profectum est, artes inde Dei singu-  
lari instinctu, ductuq; et auxilio, ex-  
truentibus viris sapientibus. At



At hæc labes naturæ humanæ vt  
instauraretur, & restitueretur mutila  
ta imago, nec mens humana aut versa  
retur in perpetua Dei ignoratiõe, aut  
conflictaretur cum assiduis fluctibus  
dubitationum, præstitit Filius Dei,  
Dominus noster Iesus Christus, inter-  
cessione sua apud Patrem, obedientia  
& missione Spiritus sancti: Hic  
pro lato arcano decreto diuinitatis,  
promisit & præstat instaurationem  
generi humano: Hic ostēdit Patrem,  
& repurgat ac renouat in homine  
Spiritu sancto imaginem archetypi,  
illitas maculas & obductam rubigi-  
nem extergendo, & nouæ lucis com-  
municatione illustrando & expoliēdo.

Inde duo prima diuersa extiterunt  
doctrinarum genera. Harum vnum,  
Ecclesiæ proprium, docet agnoscere  
Deum, sicut sese patefecit per Filium,  
qui



qui hanc doctrinam, ex arcano sinu  
æterni Patris depromptam, sua vo-  
ce promulgavit. Hæc doctrina non  
tantum sapientiæ, providentiæ, & bo-  
nitatis diuinæ vestigia proponit, vt  
cæteræ, nec obscuram saltem Dei ad-  
umbrat imaginem, qualem reliquæ in  
mente lituræ referunt, velut primarum  
linearum ductus, sed Dei essentiam  
ostendit ac voluntatem, atq; affectio-  
nem erga genus humanum declarat  
& confirmat, & qualis fuerit, atque  
esse debeat imago Dei in homine,  
qualisq; futura sit in illa æternitate,  
enarrat, & quomodo in hac vita re-  
stitutio illius inchoetur, edocet: De-  
niq; à quo reparata sit salus generis  
humani, quæ perierat, quoue et qui-  
bus auxilijs ac præsijs accipiatur ac  
retineatur, explicat.

B

Ab



Ab hac toto genere discrepant  
reliquæ doctrinæ vniuersæ, quæ  
Deum esse, & qualis sit, demonstrant  
aliquo modo, vel ex lituris inductæ  
atq; obfuscatæ imaginis, id est, ex reli-  
quijs illius sapientiæ, quæ in humana  
mente de prima effigie archetypi, deq;  
radys sapientiæ diuinæ supersunt, vel  
ex vestigijs, quæ in cæterarum natu-  
ræ partium admirando opificio de ar-  
chitecto testatur, & qualicunq;, quod  
superest, acumine mentium humanarū  
comprehenduntur. Orditur mens ab  
inspectione & consideratione sui. Inde  
ductu sensuum progreditur ad cōtem-  
plationem domicilij, in quo habitat, et  
cæterarū naturæ partiū, quæ ad vsum  
hominis magna sapiētia, destinatis offi-  
cijs, distinctis effectibus et locis ac se-  
dibus ceu classil. distributis, cōparatæ  
sunt. Non dubium est hærere adhuc in  
mentibus



mētibus humanis de insita prima ima-  
gine ceu lineamenta et adumbrationes  
quasdam notitiarum, quas Deus vo-  
luit esse reliquas, vt harum indicio &  
monitu, homo aliquo modo agnosce-  
ret archetypum, & se illi subiectum  
esse debere sciret. In his cum mens in-  
tueretur Deum, qualis sit, & quòd  
actionum externarum, cum his con-  
formitatem requirat, intelligeret, le-  
ges inde detexuit, quæ consociarunt  
homines, & quid in societate coniun-  
ctis conueniret, quæ facere oporteret,  
quæ omittere, quæ ad normā in mente  
expressam congruerent, quæ ab hac  
discreparent, monstrarunt. His  
constituta sunt imperia, iudicia,  
contractus. His communita &  
fulta eadem velut præsidio firmissi-  
mo sustentantur atque gubernantur.

B 2 Hæc



Hæc sunt vincula & nerui vniuersæ  
societatis, priuatim ac publicè, quibus  
ruptis, illa dissiparetur: laxatis hisce-  
ret ac finderetur in rimas, neq; cõtine-  
re sese diu atq; cõsistere sine his fulcris  
& repagulis posset. Nec minus in  
doctrina legum, & ijs, quas leges sanc-  
ciunt, ordinationibus, lucent: sapien-  
tia, iusticia, veritas, castitas, & alia  
bona, quæ in Deo sunt summa, quàm  
in mente ipsa humana. Nec doctrinæ  
legũ honestarũ, quæ ad imaginis diui-  
næ vestigia cõgruunt, scopus est alius,  
quàm vt sapientiæ & iusticiæ diuinæ  
Canonem in mentibus humanis, velut  
in breues fasciculos conuolutum, euol-  
uendo & expandendo, atq; in omnes  
priuatorũ & publicorum officiorum  
partes, adeoq; in coagmentationes o-  
mnes & nexus ordinis politici tan-  
quàm normam rectitudinis governa-  
tricem



tricem dirigendo, accommodent ad  
vsum generis humani, & societatis  
humanae gubernationem ac defensionem,  
vt admoneantur homines, Deum  
autorem esse ordinis & sapientiae po-  
liticae, & postulare huius ordinis con-  
seruationem.

Sunt reliquae in mentibus huma-  
nis & noticiae ordinis ac numerorum  
atq; alia plurima, & intellectus con-  
nexionis coherentiae, atq; consecutio-  
nis in argumentando, & vt vniuersa  
paucis dicam, δὲ ὡς αὖτε κελύκη. Hac ad-  
iuta mens, postquam sese excussit, &  
ea peperit, quae totum complectuntur  
genus humanum, praeeuntibus sensibus  
sese conuertit ad partem naturae hu-  
manaе brutam, rationisq; expertem &  
intelligentiae. In fabrica ergo corpo-  
ris humani, & tota rerum natura,  
quae ad huius sustentationem admira-

B 3 bili



bili rerum diuersitate, sed con-  
cordi consensu velut conspirat, in his  
ergo, cum quanta sapiētia in humano  
corpore ad vsus certos partis rationa-  
lis: in reliqua natura ad corporis hu-  
mani vsus singula fabrefacta sint atq;  
attemperata, peruestigasset, artem  
Medicam condidit, quæ dum ex anti-  
pathia et sympathia naturarum, eruit  
& explicat rationem tuendi fouendiq;  
corpora humana multiplici præsidio-  
rum, quibus natura redundat, varie-  
tate, rursus & esse Deum, & qualis  
sit, demonstrat. Sed aliter quàm le-  
gū doctrina. Hæc enim animos quasi  
in rem præsentem deducit, ponens an-  
te oculos quandam veluti picturam,  
aliqua ex ijs, quæ sunt in Deo, repræ-  
sentantem. Illa non Dei imaginem  
effingit, sed ex fabrica corporis hu-  
mani & admirandarum in hoc vi-  
rium



rium discrimine ordineq; actionum,  
& cum humano corpore cæterarum  
naturæ partium consensu & repu-  
gnantia penè stupenda, eadem ra-  
tiocinando colligit. Idcirco digni-  
tate prior est Legum doctrina,  
posterior ars Medica. Illa enim ex  
reliquijs imaginis diuinæ in mente  
descripta, in hac, Deum cernen-  
dum proponit eo fine, vt humana  
omnia, priuata & publica, in hac  
externa communis vitæ societate  
fiant huic imagini cõformia: Et com-  
ponit, fingit, atq; vt Platonis verbo  
vtar, ἡσθητικὴν partem | hominis no-  
biliorem, qua is ad diuinitatem pro-  
ximè accedit, animum scilicet: Hunc  
flectit & assuefacit ad moderatio-  
nem, nimis feruidos impetus repri-  
mendo ac retundendo, et intra defini-  
tas metas concludendo atq; cohercēdo.

B 4 In



In hac, quod distortum est ac deprava-  
uatum, corrigit, quantum & reliqua  
lux, corrigendum esse monet, & im-  
becillitas humana patitur. Quæ assue-  
factio & si vix somnium est vmbrae  
de illa obedientia, quam lex Dei fla-  
gitat: tamen & necessaria est, & a  
Deo præcipitur. Et pertinet ad di-  
ctum: Lex est pædagogus in Chri-  
stum.

Doctrina Medica curam cor-  
poris agit, & vt menti præsto sit ac  
seruiat, ad vltimum finem consequen-  
dum, ad quem homo conditus est, per-  
ficit, deq; Deo ex fabricæ & virium  
atq; actionum præstantia æstimat atq;  
constituit. Sed toto cælo, vt dicitur,  
superat vtranque, doctrina Ecclesiæ,  
quæ, quid, & quantum desit homini,  
sola explicat, & causas sola monstrat  
horrendæ labis in vtraq; parte, tene-  
brarum



brarū atq; caliginis circumfusæ ima-  
gini diuinæ in mente, & deprauatio-  
nis ἡ ἀταξίας, turbatarū virium cor-  
poris. Sola etiā vtriq; denunciatur in or-  
ganis, offert ac præstat remedia à Fi-  
lio Dei. Quam, quia non vlla genuit  
creatura, nec vis & acumen ingenij  
humani aut ex sese edidit, aut eruit ex  
natura, sed Filius Dei aperuit, produ-  
ctam ex arcano consilio ac decreto di-  
uinitatis, de rebus, nō ad hāc fragilem  
atq; caducam, & iniuriarum omnium  
ac miseriarum procellis expositam vi-  
tam pertinentibus, sed ad æternam,  
luce diuina & læticia plenam, cuius,  
quomodo inchoari initia in hac vita  
& quasi rudimenta quædā oporteat,  
ostendit, idcirco omni cultu reuerentiæ  
sanctissimæ ac perpetuæ, dignissima  
est. Cæteras, vis & acumen ingenij  
& sedulitas industriæ peperit huma-

B 5 na,



manæ, "petitis principijs ex notioni-  
bus nobis insitis, quarum consumitur  
opera & cura in hac externa vita be-  
nè rectèq; & cum ratione agenda, &  
in huius vitæ miserijs leniendis, erra-  
tis corrigendis, bonis adipiscendis, &  
vbi acquisita sunt, fouendis, augendis  
& exornandis. Tota enim Philoso-  
phia nihil est aliud, nisi querela de hu-  
manis miserijs & leue frenum.

Venio ad nostras artes philoso-  
phicas, quæ cum duabus præcedenti-  
bus ex yisdem propagatæ principijs,  
ordine naturæ procedunt, dignitate  
sequuntur. Nam & fundamenta, qui-  
bus illæ nituntur, præparant ac præ-  
struunt, & yisdem velut ministræ as-  
sistunt ac seruiunt, quibus, qui sese nõ ex-  
pediuerit & confirmauerit, in illas in-  
gressus sæpe hærebit ac hallucinabitur.

Fontes



Fontes Legum eruit ac demonstrat  
doctrina de moribus, quam Ethicam  
vocat Huic virium in homine discrimina  
explicat doctrina physica, discernens  
liberè agentes & rationis compotes  
ab agentibus naturaliter & ratione  
carentibus. Eadem aditus adornat  
ac præmunit ad Medicas artes, &  
prima quasi lineamenta format, de  
quibus reliquum corpus contextitur.  
Vtraque ex doctrina numerorum,  
proportionum, motuum cælestium,  
plurima assumit & mutuatur. Vtrique,  
ut tractari ac doceri possint, artificia  
Methodi necessaria sunt, & proprii  
sermonis copia atque exponendi facultas.

Quantquam autem peculiaris  
est doctrina Ecclesiæ, tamen non pauca  
illa quoque habet, in quibus ha-  
rum



rum artium præsidia & adiumenta  
non aspernatur. Nam & sermonis  
vsum atq; intellectum à Grammatica,  
& tractationis rationem ex Diale-  
cticis, & quandam quasi descriptio-  
nem distinctarum virium in homine,  
multarumq; naturæ partium declara-  
tionem ex Physicis, & anni rationem  
ex doctrina astrorum petit, ac cæteris  
partibus, quæ huic cognatæ sunt.  
Cumq; de ijs materijs differendum est,  
quæ ad legem Dei propriè pertinent,  
multa sumit ex Philosophia morali,  
vt nomina virtutum, definitiones,  
doctrinam de lege naturæ. Et ipsa  
collatio Philosophiæ moralis & do-  
ctrinæ Ecclesiæ illustrat utraq;: Nec  
de discrimine, nisi utraq; cognita, re-  
ctè dici potest. Sed ea sapientiæ diui-  
næ testimonia percensere, quibus re-  
fertæ sunt singulæ, cum totæ nihil  
aliud



aliud sint, nisi Dei sapientia, nimis foret longum. Intellego autem veram philosophiam ex principijs natura notis, aut longa animaduersis experientia, demonstrationibus constitutam: Non deliramenta Stoicorum aut Epicureorum vel aliorum ἄλογα ἢ ἀναίτια λόγητα commenta.

Quis negabit sapientiae diuinae particulam esse, aut in doctrina numerorum, horum vim, seriem, intervalla, rationem, analogiam, quaeq; ex his extructa sunt, infinita varietate: aut in geometricis demonstrationibus euidenciam certitudinis: aut in doctrina de motibus caelestibus, demonstrationum & numerorum, cum perpetuo ordine motuum admirandum consensum.

Meminerint ergo dictum Platonis adolescentes: Gratam de Deo famam



famam in artibus sparsam esse, & cogitent, doctrinas veras res sacras esse, derivatas ex rivulis sapientiae divinae, quae testentur Deum esse, & qualis sit, ostendunt. Et referri debere doctrinas omnes, non ad obscurandam vel obruendam, sed ad ornandam ac celebrandam gloriam Dei, & confirmandam assensionem de providentia: Mentis etiam in doctrinarum tractatione semper debere intentas esse, & defixas in Deum autorem, qui his sese expressit. Nunc etiam hoc moneo adolescentes, ut artium philosophicarum utilitatem intelligere discant, ac magnifacere: Et in his sese primae aetate, dum vigent ingenijs, nec dum laborem discendi, aut graviter ferunt, aut fastidiunt, diligenter exerceant. Omnino enim id sibi persuadeant, infeliciter in caeteris sese doctrinis operam



ram nauaturos esse, nisi hausta ex his  
artibus fundamēta ad eas attulerint,  
quæ sunt velut alæ, quarum remigio  
sublata ingenia, euolant ad sublimio-  
ra. His destituti, humi repunt, &  
frustra ad illa enituntur, tandemq̃  
magno conatu à longe multū diuq̃ ad  
illa anhelando, vix gustū earum tan-  
dem percipiunt. Nec moueantur ado-  
lescentes, aut clamoribus eorum, qui  
suæ ruditati & inscitie, nescio quos,  
doctrinæ sacræ singulares & enthu-  
siasticos intellectus prætexentes, phi-  
losophicas artestraducunt ad vulgus,  
tāquam perniciosas moribus Christia-  
nis, et quæ cognitionē doctrinæ sacræ  
veram impediunt, aut iudicijs sinistris  
aliquorum, qui excludunt è scholis eos  
autores, è quibus solis puritas lingua-  
rum, quarum cognitio Ecclesiæ neces-  
saria est, discitur. Sed contra tales,  
meliorum



meliorum & saniorum iudicia atque  
evidentes vtilitates sibi proponant.

TE autem Fili Dei, Domine  
noster Iesu Christe, qui es custos &  
vmbra culum Ecclesie, toto pectore  
oro, vt his regionibus clementer pa-  
cem tribuas, nec Academiam hanc,  
& hac doctrine studia, quae profite-  
mur, deleri sinas: Sed excites & in-  
struas ingenia doctrinarum capacia,  
& salutaria Ecclesie tuae, quae  
discendo docendoq; ea conser-  
uent & propagent, vt  
tu celebreris.

DIXI.



ORA



ORATIVNCVLA  
DE AFFECTIBVS IN-  
TER PARENTES ET LIBEROS

*mutuis, quos σοφῶς vocant,*

*Recitata à M. Paulo Ebero,*

*P. F.*



*Aldè me pudet hoc in loco & consistere et dicere ante alios, qui me ætate, eruditione, & iudicio longè superant, ac optarim & hunc locum & has dicendi partes, alij mandatas fuisse, qui ab ingenio, doctrina & usu, quorum nihil in hanc exiguam ætatem meam cadere potest, instructior, cum laude Scholæ nostræ eas sustinere potuisset, quales multi in hoc cœtu meorum competitorum inveniuntur. Sed quia hoc ita visum est ijs, quorum authorita-*  
*C tem*



rem defugere nobis iunioribus non  
licet, spero omnes, quibus huius Aca-  
demie consuetudo nota est, mihi ve-  
niam daturus, aliquid de voluntate &  
iussu præceptorum meorum summa  
reuerentia dignissimorum afferenti,  
& potius obediendi studium probatu-  
ros esse, quàm requisituros facundie  
conatum, qui non modo omnis irritus  
esset futurus, sed etiã ridiculus in hac  
mea ætate videri meritò posset.

Cùm igitur & Scholæ consue-  
tudo, & ornatissimi Domini Decani  
autoritas, aliquid me in hac ipsa mea  
infantia dicere postulet, constitui pau-  
ca quærere potius quàm differere de  
Storgis physicis, quas constat in cordi-  
bus parentum erga liberos, præsertim  
calamitosos, flagrare, admonitus hi-  
storia Evangelica de muliere Cana-  
næa, quam die Dominico proximo à  
Reues



Reuerendo viro, pietate, eruditione  
& virtute præstante Domino M. Io-  
hannæ Kittelio Pastore Ecclesiæ  
Brandenburgensis, hospite nostro, lu-  
culenter enarrari audiuimus, quomo-  
do Mater acerbissimo dolore ob mi-  
seriam filia à Dæmonio horribiliter  
vexatæ, percussa & impulsæ, ad Chri-  
stum accurrerit, & suum dolorem ar-  
dentibus gemitibus, lachrymis & cla-  
moribus testata, opem illius implora-  
uerit, Ibiq; silentio primùm quasi ne-  
glectionis indicio absterrita, deinde  
post discipulorum etiam intercessio-  
nem exclusæ & reiectæ sit à societa-  
te populi Iudaici, quasi eius solius sal-  
uandi causa Christus exhibitus esset,  
tandem etiam post repetitas preces,  
& mæstissimam supplicationem, cum  
conuicio immundæ et obscænæ canis,  
quasi prorsus repudiata sit, vbi tamen

C 2 incitata



incitata & animata magnitudine  
amoris & doloris materni, hoc ipsum  
conuicium detorserit ad suæ petitionis  
sententiam, atq; ita capto suis verbis  
et constricto quasi Christo, extorserit  
opem, quam prius constanter denega-  
re visus fuerat, cum allegato catello-  
rum iure, quod in domo cum filiis fa-  
miliâs habent, eruditè interpretata  
esset, diuinas promissiones de benefi-  
cijs Messiaë, quòd, etsi illa principaliter  
semini Abrahamæ deberentur, tanta  
tamen eorum sit largitas & vbertas,  
ut etiam alienis à populo Dei indigen-  
tibus et petentibus contingere debeât,  
& abundè suffectura sint. Eorum be-  
neficiorum, quibus filij non indige-  
rent, miculis saltem & buccellis cum  
se saturari petiuisset, non tantum à  
Christo id impetrat, quod petiuerat,  
verum etiam audit suæ fidei constan-  
tiam



tiam, robur & efficaciam palam prædicari tantis encomijs, quantis nullius tunc Apostoli fides laudata fuit, qui contra sæpius & antea audierant, & deinceps audituri erant, se ὀλιγοπισθε, se tardos corde ad credendum, se γεὰρ ἀπιστοὺς καὶ διεσαμμένους à Christo appellari & obiurgari.

In hac muliere cùm admodum insigniter conspiciantur σοφῶν parentum erga liberos, & earum etiam insignes vtilitates cernantur, quas afferunt, cùm verbo Dei reguntur, existimavi operæ precium, de ijs aliquid dicere, non contra Stoicos tantùm, qui hos quoq; affectus, sicut & alios, opiniones esse iudicabāt, & vt suo genere viciosos cum alijs legi Dei manifestè contrarijs ex natura hominis tollendos esse censebāt: Verum etiam contra quosdam Hypocritas recen-

C. 3 tes,



tes, qui illa Stoicorum deliria Theolo-  
giae miscentes, prae-textu singularis  
pietatis hos affectus vniuersos impro-  
bant, & homine Christiano indignos  
esse clamitant, qui mente sua & corde  
tantum in assiduo contuitu caeli affi-  
xus, nulla prorsus re terrena letari  
aut adfici debeat, nihil nisi caelestia  
appetere, cogitare, somniare quoque,  
nulla re tristi commoueri, nullius  
proximi calamitate, lapsu, morte, do-  
lere aut lugere, deniq; ad omnes euen-  
tus externos immotus, imperterritus,  
& ἀναμόχθτος quasi esse debeat.

Et hos fanaticos suos stupores  
etiam scripturae sanctae testimonijs  
tueri, & imperito vulgo pro singula-  
ri sanctimonia venditare conantur,  
allegantes dicta Christi & Aposto-  
lorum, quibus illi reprehendunt &  
damnant intempestiuas curas & solici-  
tudo



cituidines de victu & defensione, cupiditatem vindictæ priuatæ, nimiam trepidationem ob metum futurorum, fiduciam et spem fluxorum bonorum, nimiam mœsticiam & indecoros luctus in calamitatibus nostris vel proximorum.

Hæc dicta Scripturæ isti fanatici detorquent ad omnium affectuum humanorum prohibitionem, & exigunt in regeneratis plus quàm stoicam ἀσάθεια, quam postea fingunt esse aptitudinem & præparationem ad illas, quas iactitant, illuminationes & reuelationes arcanas, quarum vana promissione imperitos homines à studio verbi, à veneratione & usu ministerij, ab officijs communibus huius ciuilibus societatis abducunt, quæ vesania cum in Deum sit contumeliosa, & pernicio-

C 4 sa



sa communi vitæ, sæpe illustribus ar-  
gumentis refutari debet, & econtra-  
rio proponi vera doctrina de adfecti-  
bus, vt discamus, qui & quatenus sint  
in natura conditi, et quomodo debeant  
regi, & quòd multarum maximarum  
virtutum, & laudabilium actionum  
instrumenta & incitamenta sint, &  
de maximarum rerum consideratio-  
ne nos vtiliter admoneant.

Hanc autem doctrinam de  
Storgis eò libentius tractandam susce-  
pi, quòd immensitatem beneficiorum,  
quæ à pijs parentibus accipimus, no-  
bis ob oculos ponit, quorum omnium  
fons & origo sunt illæ diuinitus insi-  
tæ cordibus parentum σοφῶν ἐργῶν  
bolem, & nos vicissim nostri officij,  
& in primis gratitudinis, quam pa-  
rentibus debemus, commonefacit.

Primum



Primum autem Stoicorum delirium reijcimus, qui finxerunt, σοφῶς esse tantum opiniones in mente, ex obiectis per sensum monstratis conceptas, vel propensiones voluntatum ex diuturniore conuersatione & arctiore consuetudine ortas, vt si canis nobis domesticus blandiatur ob sæpius acceptos cibos, vel alioqui ob diuturniorem noticiam, alienos verò ignotos, & nihil meritos allatret, auersetur et fugiat. Ita infantes nostros & in vniuersum sobolem existimant Stoici ab blandiri parentibus, vel propter sæpius accepta per illos munuscula, vel propter diuturniorem noticiam & familiaritatem, & vicissim parentes propensiores erga liberos suos, quàm erga alienos esse, vel propter opinionem, quòd ex sese illos ortos putent, sicut alioqui omnia nostra cariora nobis



bis cariora sunt, & pluris aestimantur, vel quòd illis ita adsueuerint, vt omnibus eorum gestibus, vocibus & lusibus delectentur magis, quàm aliorum, quibus non adsueuerunt.

Sed falsa hæc esse multis argumentis ostendi posset, si tempus permitteret. Experimur enim sobolem diligere, & quidem ardentius, tunc, cum nihil foris apparet, quod nos delectare possit, cum morbis aut scabie deformati, & alijs de causis sordidati infantes ab alienis atq; adeò à domesticis cæteris non modo non contrectari, sed & vix aspici præ nausea possunt, quo tempore matres omnium sollicitissimè & arctissimè fouent, lauant, tergunt infantes, & in illis ipsis sordibus amplectuntur & osculantur.

Rursus liberos non sola vtilitatis cogitatione & acceptorum beneficiorum



ciorum recordatione moueri, vt pa-  
rentes diligant, inde certum est, quòd  
non solas matres aut nutrices suas di-  
ligunt infantuli, à quibus lac & cæte-  
ra alimenta & fomenta accipiunt, sed  
etiam ad patres maximo cordis impe-  
tu feruntur, à quibus tamen nihil aut  
parum nutrimenti accipiunt, aliquan-  
do etiam per longa interualla visun-  
tur & salutantur. Et tamen cernimus  
infantes sæpe ad primum ingressum  
patris in conclaue, & ad primum con-  
tuitum mox exultare, gestire, risu,  
vociferatione, iactatione omnium  
membrorum, ostendere subito accen-  
sam in ipsorum pectusculo leticiam,  
cordis dilatationem & spirituum ef-  
fusionem, quasi ruentium vltro ad  
complexum aliquandiu non visi pa-  
tris, quales gestus non edit infans  
ad conspectum cuiuscunque non dico  
alieni,



alieni, sed domestici etiam, imò sæpe ne matris quidem aut nutricis accessum tanto gaudio excipit infans, quanto se effert, patre ex interuallo & mediocri temporis conspecto.

Vanissima igitur est Stoicorum sententia existimantium eiusmodi σοφῶν esse opiniones ex varijs occasionibus intra animos conceptas, & confirmatas usu & diuturna cohabitatione.

Teneamus hoc, quòd verius est σοφῶν esse naturales motus cordis, quod ita factum est, vt sensu cognati vel sanguinis vel spiritus afficiatur, & dilatetur læticia, quasi obuiam ruens in complexum sanguine iuncti hominis, et rursus contristetur et contrahatur cernens aliquid molestum accidere cognato sanguini.

Horum



*Horum motuum causas interiores et propiores cuperemus omnes intelligere. Nec ego is sum, qui mihi earum explicationem sumere debeam. Sed mirabiles esse motus cordis, et multo aliter erga cognatos sese habentes, quàm erga alienos, experientia discimus. Neque enim tam faciles motus, tam celeres, tam acres sentit cor nostrum, si quid boni vel mali de alieno homine per sensus nunciatum accipit, quàm si idem vel etiam multo levius cognouimus, de eo, qui nobis sanguine iunctus est.*

*Imo quod magis mirum est, etiam sine sensuum nunciatione, aliquando cor nostrum languore afficitur, comprimatur, et mœsticia insolita & repentina grauat, cuius causam indicare nullam possumus, eo ipso tempore, quo vel liberi nostri vel pa-*  
*ren*



rentes, etiam cum procul absunt, aliquid mali patiuntur, corde videlicet presagiente aliquid nostris triste evenisse, aut euenturum, antequam quidquam sinistri nuncij ad nos allatum fuit de obitu vel alijs calamitatibus nostrorum, quas postea fama vel nuncio compertas, temporum collatione facta, experimur tunc accidisse cognatis nostris, quando sine evidenti causa cor nostrum moestitia inusitata languere sensimus.

Ita fieri interdum videmus, ut mater aut pater filium, frater aut soror fratrem, propter diuturnitatem absentiae, de facie prorsus ignotum, intus agnoscat, priusquam foris oculi formam dijudicent & apprehendant, spiritu nimirum & sanguine cognato intrinsecus commoto, & ebulliente, & fundente sese extra cor, & quasi nitente



nitente & ruente ad cognatum sanguinem vel spiritum.

Ita enim natura comparatum est, ut simile ad sui generis aliud magno conatu tendat, sicut flamma ex lychno ardente in id, quod ignis naturæ proximum est, ut in pinguem & aëreum fumum, vel aliam materiam similem celerrime transfilit.

Ita verisimile est, spiritum animale, ex vno corpore per generationem auulsum, & in alia corpora propagatum, querere coniunctionem, & toties moueri & agitari ad consociationem, quoties vel recordatio cognati sanguinis mentem, vel species externa visum, vel fama auditum mouet, imò ut dictum est, aliquando sine talibus adminiculis, suo quodam peculiari motu, & planè diuino cietur spiritus animalis, ut cor ad mæsticiam  
vel



vel læticiam commoueat, tunc, cum  
cognato homini procul absenti in-  
signiter malè aut benè est. Quæ ideo  
recito, vt appareat id, quod verissi-  
mum est, sorsuæ nequaquam esse imagina-  
tiones aut opiniones, quæ pro arbitrio  
sumi, ac rursus deponi possint, aut te-  
merè adfluant et recedant, vt fluctus et  
Euripi ab incertis ventis impulsæ, sed  
esse naturales motus, substantiæ spiri-  
tuum animalium inditos, vt sicut illi for-  
mas aliarum rerum per singula sensuum  
organa apprehendunt, discernunt, et  
iudicant, ita etiam spiritum et sangui-  
nem à suo vel cognato corpore ortum,  
et in aliud corpus per generationem  
propagatum, agnoscant, et ad eum  
magna celeritate et vehementia ruant,  
atque ita cor impellant, vt cognati ho-  
minis conspectu, conuersatione, et re-  
bus prosperis lætetur, et eiusdem ab-  
sentia



sentia, calamitatibus, & interitu con-  
tristetur, & vehementissimo conatu  
mala ab eo depellere nitatur. Inde  
exoriuntur amores, letitiæ, hilarita-  
tes, inter presentes cognatos: Inde est  
ardentissimus dolor, & luctus & de-  
siderium, in calamitatibus, separatio-  
nibus & mortibus cognatorum: Inde  
est feruentissimus zelus, maximo co-  
natu etiam cum suo periculo conten-  
dens, malum lædens à cognato corpo-  
re depellere, quos affectus σοφία, no-  
minamus, & verè credimus diuinitus  
in creatione rationalibus naturis im-  
pressos, partem esse imaginis Dei, ad  
quam homo conditus est, & futuros  
fuisse in natura integra & tales re-  
purgatos & ardentiores fore in eter-  
na beatitudine post hanc vitam. In  
hac verò vita scimus eos seuerè à lege  
Dei requiri, quæ dilectionem proxi-

D morum



morum seriò præcipit, & in renatis  
à Spiritu sancto restitui, & puriores  
accendi ac regi.

Paulus quidem certè inter summa  
scelera, qualia in Ethnicis alienis  
prorsus à Deo, fuisse, & circa finem  
mundi in maxima naturæ humanæ  
degeneratione & prauitate præcipuè  
futura esse scribit, enumerat tanquam  
teterimum viciu[m] etiam ἀσorgίαι  
cùm Rom. I. & in secunda ad Ti-  
motheum capite tertio scribit: Ho-  
mines fuisse & futuros γονεῦσιρ ἀπει-  
θεῖρ, ἀχαρισθερ, ἀσόργερ. Et in prima ad  
Timotheum quinto dicit de viduis:  
Discant primùm τὸν ἴδιον ὄικον εὔσε-  
βειρ. καὶ ἀμοιβὰρ ἀποδιδόναι τοῖρ προγό-  
νοιρ. τοῦτο γὰρ ὄβι καλὸρ καὶ ἀποδεκτόρ  
ἐνώπιον τοῦ θεοῦ. Et addit paulò post:  
Si qua suorum, & maximè domesti-  
corum



corum, curam non habet, fidem negavit, & est infideli deterior.

Sunt autem maximarum utilitatum causa *σοφία* condita in natura hominis. Primum, ut conservari, propagari & augeri genus humanum per nutritionem, educationem & defensionem sobolis possit, quæ quidem utilitas homini cum brutis animalibus est communis, in quibus cernuntur mirabiles inclinationes, studia, artificia, & impetus in fouenda, nutrienda, tuenda, prouehenda prole tam diu, donec sibi necessariam ad vitam comparandum industriam, & ad defensionem suæ incolumitatis vires & instrumenta necessaria acquisierit. Vnde postea parentes sobolem deserunt, vel etiam à se prorsus fugant & repellunt.

D 2 Homini



Homini verò σοφία inditæ non  
ad tempus, sed per totam vitam du-  
rant, imò etiam cum ætate fiunt ar-  
dentiores & acriores, quibus mouen-  
tur parentes, vt non tantum victum  
primis nutritionis annis soboli quæ-  
rant, sed etiam instruant eam præce-  
ptis virtutum, regant eam consilijs  
suis, traducant ad agnitionem & ve-  
ros cultus Dei, cuius officij imago  
cernitur in situ vberum, quæ brutis  
animalibus, lactantibus foetum, in imo  
ventre collocata, mulieri ad pectus  
admota sunt, vt significaretur, paren-  
tes debere liberis non victum tantum,  
& cætera ad hanc temporalem vitam  
necessaria, sed sapientiam etiam im-  
pertire, quæ instruere & præparare  
et perducere sobolem possit ad æter-  
nam vitam et consuetudinem cum  
Deo conditore.

Huius



Huius sororis illustre exem-  
plum & insignis fructus nobis pro-  
positus est in proxima historia mu-  
lieris Cananeæ, cui maternum pe-  
ctus ita flagrat amore & dolore ob  
ingentem talem calamitatem filiae,  
ut & sollicitissimè circumspiciens  
quærat opitulatorem, & monstratum  
partim in promissionibus, partim  
communi fama, animosè & intrepidè  
conueniat, supplex oret, & nihil reue-  
rita suam indignitatem, nihil morata  
etiam monstrati opitulantis duras  
voces & conuicia, pergat, urgeat, &  
pertinacia fidei & inuocationis tan-  
dem expugnet Dominum, & cogat  
quasi, filiae suæ opem ferre, quam ade-  
pta, haud dubiè cum filia postea hunc  
liberatorem pro vero Messia & Filio  
Dei agnouit, inuocauit, celebrauit, &  
eius fiducia statuit se Deum placatum

D 3      habe-



habere, & ex hac vita decessit læta  
ad æternam Dei consuetudinem.

Ad hanc tantam bonorum tem-  
poralium & æternorum copiam pe-  
tendam à Christo & consequendam,  
incitatrix huic adflictæ matri fuit  
sorga, diuinitus ipsius cordi impressa,  
quæ conquiescere ipsam in tanta filie  
miseria non permisit, donec liberatio-  
nem à corporali malo adipisceretur,  
cum qua, crescente simul luce & ardo-  
re fidei, æternam salutem est consecu-  
ta.

Hæc tantorum bonorum instru-  
menta addita hominum naturæ, nos  
iuniores præsertim agnoscamus, ma-  
gnifaciamus, & grati celebremus, &  
toto pectore detestemur illos Enthu-  
siastarum furores, qui has Storgas  
non agnoscunt ut dona Dei, non usur-  
pari volunt, & dementati inani ca-  
ptatione



ptatione sanctitatis, homines non solum deteriores infidelibus, ut Paulus loquitur, verum etiam ipsis belluis crudeliores faciunt, dum matres à liberis, liberos à parentibus, fratres à sororibus per speciem religionis auellunt, & has sociates, quæ proximos inter se deuinciunt, & nerui quasi sunt domesticæ consociationis & mutuæ beneficentiæ & gratitudinis, ex animis hominum euellere conantur.

Ego quidem palàm profiteor, me ab illorum insania tota mente abhorrere, et gratias Deo quantas concipere animo possum, reuerenter ago, quòd hos fonticulos uberrimos in pettoribus parentum nostrorum insculpsit, ex quib. largissima ad nos omnis generis quotidie beneficia promanant. Imprimis autem & nominatim Deo

D 4 gratias



gratias ago, quòd mihi patrem largi-  
tus est φιλόσοφος, mei piè amantem,  
qui & ipse à pueris me salutari do-  
ctrina de Deo, & omnibus honestis  
officijs instruxit, & ab alijs rectè in-  
stitui & formari ad virtutis & bo-  
narum artium studium curavit, cui  
memoriam & prædicationem horum  
beneficiorum cum debita reuerentia  
& obsequio, Deo iuuante, & in hac  
vita, & in tota aeternitate præsta-  
bo.

Et quia huius materiæ vbertas  
meam longè excellit infantiam, re-  
uerenter oro, carissime pater, vt tu de  
dignitate Storgarum explicatius  
dicas, & argumenta etiam  
aliqua refutes, quibus fa-  
natici homines eas  
impugnare audent.

DIXI.

RESPON.



# RESPONSIO PATRIS.



*Arissime fili, non sinit  
temporis angustia nos hic  
instituire longiorem resu-  
tationem, & ornatissimi  
viri non sunt prolixitate orationis  
nostræ incultæ & insuavis onerandi  
diutius. Dicam tamen pro pater-  
no meo in te amore pauca, quia in  
publico hoc optimorum virorum con-  
fessu aliquid filio honesta ratione pe-  
tenti denegare, videretur esse alie-  
num ab eius natura, cui tu φιλοσοφίαν  
tribuis, à qua me non abhorretere fateri  
malo, quàm cum Enthusiasticis istis vi-  
deri propter ipsam ἀπαθείαν fortis &  
constans.*

*Speciosissimum argumentum,  
quo se isti fanatici impugnatores stor-*

*D 5 garum*



garum imperito vulgo venditant,  
est dictum Luc. 14. Vbi inquit  
Christus. Si quis uenit ad me, &  
non odit patrem suum & ma-  
trem, & uxorem, & filios, & fra-  
tres, & sorores, adhuc autem &  
animam suam, non potest meus  
esse discipulus.

Ergo qui vult esse discipulus  
Christi, inquit, debet se omnibus his  
vinculis domesticarum necessitudi-  
num exoluere, & omnem amorem &  
curam suorum abycere.

Facilis responsio est, Chri-  
stum ibi loqui de casu confessionis,  
quod inde certum est, quia iubet  
etiam odisse suam vitam, quam cer-  
tè non vult nos ipsos abrumpere no-  
stro arbitrio, sed teneri nos prohibi-  
tione,



tionem, **Nō occides, scilicet nec alios,**  
**nec te.**

*Verūm cū confessio hanc tibi necessitatem imponit, vt aut parentes, liberos, fratres, imò vitam tuam, amittas, aut à Deo deficias, & manifestam idolatriam approbes & usurpes: ibi mandatum Dei (Fugite idola, & : Non habebis Deos alienos coram me.) omnibus alijs carissimis rebus, & inferioribus præceptis (Honora patrem & matrem. Dilige proximum tuum.) anteferre debes. Et hanc esse sententiam verborum in Luca, manifestum est ex Matthæo 10. capite, vbi idem præceptum sic effertur: Qui amat patrem plus quàm me, non est me dignus, & qui amat filium aut filiam, super me, non est me dignus.*

**Non**



Non igitur simpliciter prohibet  
amorem proximorum seu storgas, sed  
vult eas regi summo mandato: Dilis  
gas Dominum Deum tuum ex  
toto corde, vt Deum magis ame  
mus, quàm nos, aut nostros. Hunc  
amorem translatum à carissimis per  
sonis in Deum tempore confessionis:  
Christus vocat odisse proximos, hoc  
est, negligere eos seu posthabere in ca  
su confessionis, Vbi summum & infi  
nitum bonum debet anteferri minori  
bus et finitis. Extra hunc casum vult  
nos teneri præcepto: Diligas proxis  
mum tuum. Honora patrem &  
matrem tuam, hoc est, vult exer  
ceri à nobis storgas erga sobolem, pa  
rentes, fratres, ita tamen, vt illæ re  
gantur verbo Dei, gradus faciente in  
ter obiecta amoris.

Nam



Nam etiam hoc dissimulari non  
debet, propter peccatum originis his  
ipsis flammis legitimi amoris erga  
proximos, aspergi multas sordes, Vt  
aut læguidior sit amor erga cognatos,  
quàm oportebat, aut ita vehemens &  
peruersus, vt ad quælibet vicia no-  
strorum conuiueat, & omnia indul-  
geat, quod eleganti versiculo repre-  
henditur:

Blanda patrum segnes facit indulgentia natos.

Ab hac ἀταξία et vicijs, quæ  
aliundè accedunt, longè discernantur  
ipsæ σοφίαι, vt res à Deo conditæ, et  
sua natura optimæ, de quibus profe-  
ctò proderat sæpe commonefieri iu-  
niores, vt diuinam sapientiam et bo-  
nitatem considerarent attentius, et se-  
se ad celebrationem illius, et ad gra-  
titudinem erga parentes exuscitarent  
sæpius. Nam in illis σοφίαι sunt  
omnium



omniū flagrantissimæ, quæ, vt rectè  
dixisti, sunt fons omnium beneficiorū,  
quæ à parentibus in liberos conferun-  
tur, quorum amplitudo tanta est, vt  
nulla eloquentia exponere eam possit.

Ea bona dum quæerunt soboli  
parentes, & comparant, quantum  
subeant laborum, periculorum, mole-  
stiarum, quantū sustineant curarū, vi-  
giliarum, ærumnarum, quantū perfe-  
rant cruciatuum, ægritudinū & acere-  
bissimorum dolorum, corporis & ani-  
mi, nemo vel cogitando assequi satis  
potest, ad quæ vniuersa mala toleran-  
da & exhaurienda, vnica illa diuini-  
tus in animis & cordibus condita  
sogya, & naturalis propensio erga li-  
beros & parentes, animat, roborat &  
obfirmat, ne molestias subterfugiant,  
ne doloribus succumbant, & sobolem  
in malis deserant, aut benefacere recu-  
sent.

Quæ



Quæ quidem vis amoris in paren-  
tibus tanta est, vt ne quidem tetrīs sæ-  
pe flagitijs liberorum extinguī queat,  
Imò etiã restincta nō nihil, denuo ex-  
ardescat, cū sobolem quamuis con-  
tumacem, & flagitiosam, in magnis  
constitutam ærumnis, dolere & pœni-  
tere facti intelligit.

Exemplum est Dauid, qui contu-  
meliosissimo filio Absoloni vult parci,  
& extinctum grauissimè luget, &  
authorem cædis Ioab tandem puniri  
mandat.

Dulcissima verò imago pro-  
ponitur talis paternæ sollicitudinis in Se-  
ne diuite, cuius filius, cū suam  
hæreditatem improbis flagitationi-  
bus extortam sceleratè in scorta &  
aleam profudisset, tandem ve-  
rò in summa inopia & pœna hæ-  
rens, & paterna tamen sollicitudine  
confusus



confisus, domum redire constituisset:  
ibi procul adhuc accedentē, et macie,  
Squalore, et pannis fœdatum, tamen  
d Etante cognato spiritu pater intus  
agnoscit prius, quàm oculi eum di-  
noscere potuerunt, occurrit igitur pro-  
digo filio senex pater, et oblitus deco-  
ri, oblitus omnium priorum flagitio-  
rum et offensarum, filium amplectis-  
tur, vestit, ornat, exhilarat, in locum  
fily et hæredis denuo reponit.

Similia his sæpe fiunt à pijs pa-  
rentibus, quorum causa est illa ani-  
mis ipsorum indita diuinitus flamma  
amoris, quod beneficium Dei, liberi  
grati agnoscere, prædicare, et reue-  
renter vsurpare debebant, et summo  
studio conari, vt parentibus debitam  
gratitudinē obsequio et reuerētia con-  
ueniente pro virili præstarent, et sua  
modestia, profectu in studijs, et alys  
officijs



officijs parentum curas, dolores, molestias, quas ipsorum præcipuè causa sustinent, lenirent et subleuarent.

Sed quod in alijs partibus humanæ societatis sæpissimè verum est, illud etiam apud liberos locum interdū habet, quod Pindarus conqueritur: *παλαιὰ δ' εὐδ' εἰ χάρις, ἀμνάμονες δὲ βροτῖ.* Raro enim nunc sobolis reuerentia parentum pietati respondet, et dolendum ac mirandum est, cūm flammæ motus naturalis sit, sursum tendere, quòd hic ignis amoris sæpius et efficacius à parentibus in filios descendat, quàm à filiis in parentes vicissim ascendat, vt iam pudendum quidem, sed nimis sæpe verum apud nos prouerbiū hoc usurpetur: Facilius esse vni patri aut vni matri decem liberos nutrire, quàm decem liberis vnum patrem aut vnam matrem in senectute alere.

E

Sed



Sed generosi animi, consideratione huius amplissimi beneficij Dei, conditoris harum flammaram in parentū cordibus flectatur, ut crebrò exuscitent sese ad studium pietatis, obedientiae et gratitudinis erga parentes, memores gravissimae cōminationis: Non recedet malum de domo ingrati.

Præterea nullo modo prætereundum hoc quoque est, has σοφίας in parentibus erga sobolem, non tantum esse instrumenta mutuae beneficentiae inter cognatos, & neruum societatis communis hominum: Verū etiam esse dulcissimas umbras, & illustres commonefactrices ac testimonia de amore æterni Patris erga Filium, & de eo amore, quo nos Deus Pater propter Filium complectitur, & hunc suum substantialem amorem, Spiritum sanctum, per Filium λόγος in nostra corda

da



da effundit, ut nos sibi copulet, & cer-  
tos reddat, ab ipso nos multò ardētius,  
constantius et efficacius diligi, cū se  
nobis credentibus in Filiū, Patrē fore  
profitetur, q̄ vllus homo pater aut ma-  
ter suam sobolem diligere potest, sicut  
Esaias dulcissimè inquit: Et dixit  
Sion: Dereliquit me Dominus,  
& Dominus oblitus est mei.  
Nūquid obliuisci potest mulier  
infantem suū, ut non misereatur  
filio uteri sui? Et si illa oblita fue-  
rit: ego tamen nō obliuiscar tui.  
Hæc cogita, quoties precatioñē tuam  
inchoas, eā formā recitans, quā Chri-  
stus nobis præscripsit: Pater noster,  
qui es in cœlis: & certò statue, nō fru-  
strà hoc dulcissimum nomen patris  
Deum sibi tribui velle, sed eum, qui  
storgas cordibus parentum impressit,  
seria & purissima cogitā te quoque



complecti, serio affici tuis malis, multo  
vehementius, quam hæc misera  
mater Cananea sollicita est in cala-  
mitate filiae suæ, quomodo ea liberari  
possit. Certò statue hunc Patrem cœ-  
lestem te prodigum, & tuo scelere in  
extremam miseriam prolapsum fi-  
lium, sed pœnitentem & reuertentem,  
procul contueri, mox agnoscere, acce-  
denti tibi occurrere, gestire te, com-  
plecti, & exosculari, velle sordes tuas  
abluere, iusticia Filij sui te vestire &  
ornare, annulo fœderis perpetui, hoc  
est, arrabone Spiritus sancti, æternam  
hereditatem tibi confirmare, & ma-  
ctare tibi vitulum saginatum, Fi-  
lium suum, Dominum nostrum Iesum  
Christum, vt pro te satisfaciat iusti-  
ciae Dei, pœnas exoluat, tibi deinde  
cibus sit, quo sagineris ipse, recreeris,  
& exhilareris in æterno conuiuio cum  
Deo. Hæc



Hæc cogitanda sunt, quoties  
Deum Patris appellatione compella-  
mus, vel quoties parentes nostros, ma-  
tres familiâs nostras cum infantulis  
blandè colludere, eos lactare, eorum  
morbis & calamitatibus excruciarî  
cernimus, vt statuamus, Deum multò  
ardentius nos diligere, multo vehe-  
mentius nostris malis affici, & velle  
nobis opitulari, sicut filiam vexatam  
à dæmonio petenti matri incolumem  
restituit.

Hunc clementissimum & φιλο-  
σοφώτατον Patrem cœlestem, qui est  
æternus Pater Domini nostri Iesu  
Christi, toto pectore oro, vt nos in hac  
magna miseria, infirmitate & pericu-  
lis nostris clementer respiciat, & pro-  
tegat, & Ecclesiam verè à dæmonio  
miserè hoc tempore vexatam liberet,  
& te Paule fili, ac honestos et erudi-

E 3 tos



tos συμφοιτήτας tuos omnes suo sancto  
verbo & Spiritu veritatis, roboris,  
et castificationis doceat, regat, confir-  
met, sanctificet & adiuuet, vt fiatis  
organa vtilia Ecclesiae, seruiencia glo-  
ria Dei, & saluti vestrae animae  
& plurimorum aliorum.

DIXI.

DECANVS COL-  
LEGII PHILOSOPHICI  
IN ACADEMIA VVITEBERGEN-  
si Iohannes Knor Höchstetensis  
Francus.

**H**alcyon in pelagi scopulis, ut tempore brumae,  
Oua fouet plumis, tecta q; fronde parata  
Et rapidi parcunt uiolentis flatibus Euri,  
Bisseptemq; silent aequora tuta dies:  
Sic quoq; supremo mundus dum sine laborat,  
Et sunt innumeris omnia plena malis:  
Halcyoni similis nostra haec Academia, nudum  
Ad scopulos posuit, Leucori parua tuos.  
Vtq; pius Christo produceret auspice foetus,  
Sepe dedit studijs ocia grata DEVS.



Et quamuis fuerit saeuis agitata procellis,  
Non tamen equoreas mersa subiuit aquas.  
Hæc quia foecundam coniunctio sancta LVTHERI  
Fecerat, officio fide PHILIPPE tuo.  
Hinc educta fuit magno cum foenore proles,  
Quæ sonuit laudes maxime Christe tuas.  
Quæ fuerat quõdam tenebris oppressa profundis,  
Lux Euangelij protulit inde iubar.  
Quæq; suis caruere diu cultoribus artes,  
Hic primùm ueterem deposuere situm.  
O bonitas immensa Dei: Quid gratius isto  
Munere? Quidue dari maius in orbe potest?  
Sed nunc illa quidem caro priuata parente,  
Morte LVTHERE tua, morte PHILIPPE tua:  
Et gemit & plorat, ueluti consorte perempto,  
Halcyonum gemitu littora cœrua sonant.  
Interea officium præstat Schola nostra docendo,  
Erudit infirmas ut pia mater aues.  
Hisq; suum defert studium, mentemq; benignam,  
Censuram studij qui subiisse uolent.  
Ergo Magisterij qui claros ambit honores,  
Is sua det solito nomina more Scholæ.  
Sed tu Gnate DEI, semper tibi collige coetum,  
Doctrinæ custos qui uolet esse tuæ.  
Halcyonum fac ire dies regionibus istis,  
Atq; aliquem nidum da superesse pijs.  
Calendis Ianuarij Anno 1561.

E 4 DECA ■



DECANVS COL  
LEGII PHILOSO  
PHICI.



*H*amina publica hoc con-  
silio instituta sunt, vt ex-  
plorentur profectus eo-  
rum, quibus tribuēda sunt  
doctrinae & morum testimonia, & vt  
ij, qui conueniunt, inter sese etiam sen-  
tentias placidè et amanter conferant.  
Profunt enim tales collationes &  
ijs, inter quos fiunt, & rebus ipsis:  
ὁμιλία ἢ τέχνας ἔτεκε, & in iudican-  
do acuit diligentiam, attentionem ac  
circumspectionem, reprimit audaciam  
in pronunciando & asseuerando, lenit  
& emendat cōceptas opiniones, si quæ  
à norma veritatis aberrant, frangit  
pertinaciã, qua ferè αὐτοδιδακτοι, cum  
admirantur, tum retinent ac defen-  
dunt



dunt eas sententias, quas ex sese genuerunt, vel quibus primò imbuti sunt atq; insueuerunt. Denique multa monet & docet, quæ altius penetrant, & fixius inhaerent animis per omnem ætatem, quàm si audirentur vel cognoscerentur alibi. Meminimus, quàm eruditè Reuerendus Præceptor noster piæ & sanctæ memoriæ, Philippus Melanthō disseruerit in his examinibus de sententia Pauli ad Corinthios, qua & postremò se consolatus est: *ἡ σοφία ἐγεννήθη ἡμῖν σοφία ἀπὸ θεοῦ, δικαιοσύνη τε & ἁγιασμός & ἀπολύτωση ἵνα καθὼς γέγραπται ὁ καυχώμενος ἐν κυρίῳ καυχάσθω.* Christus factus est nobis à Patre sapientia, id est, Christus est persona missa, vt proferat Euangelium ex sinu æterni Patris, ostendens Patrem, mouens immediatè corda voce Euangelij, dicens consolationem



tionem in his qui credunt Euangelio,  
& conseruans ministerium. Iusticia,  
id est, ipse præstitit integram obe-  
dientiam legi, & satisfecit iusto iudi-  
cio Dei, & suam iusticiã nobis impu-  
tat, vt propter imputatam iusticiam  
Christi placeamus Deo. Sanctifica-  
tio, id est, ipse effundit in corda crea-  
dentium Spiritum sanctũ, qui excitat  
nouos motus, congruentes legi diuinæ.  
Redemptio, id est, ipse liberauit nos à  
reatu & condemnatione, ab ira Dei,  
quam deriuauit in sese, ab æternis pœ-  
nis, à morte æterna & Diaboli pote-  
state, vt totum beneficium cogitemus  
esse Christi, & credamus præstari  
nobis atq; exhiberi propter Christum  
gratis, ex mera misericordia, &  
Christo soli tribuamus gloriam re-  
demptionis & saluationis. Hæc con-  
solationum



Jolationum plena sunt, & mirificè  
confirmant fidem. Fiet autem &  
hodie Examen eorum, qui hoc tempo-  
re petunt testimonium à Collegio no-  
stro: Quos cùm à plurimis audiri uti-  
le sit, reuerenter & meorum Collega-  
rum, & meo nomine oro Doctores,  
ac Magistros Academiae, ut ho-  
ra prima conueniant in Lecto-  
rio Medicorum, ut vocant, & ali-  
quid operæ & autoritatis ad publi-  
corum studiorum, atq; huius laudatiss-  
simæ consuetudinis conseruationem  
conferant. Exemplis eorum, qui an-  
tecellunt ætate & autoritate, inui-  
tantur iuniores, non tantum ad re-  
uerentiæ cultum impensiolem, sed  
& ad diligentiam maiorem. Neque  
his ipsis congressibus publicis quic-  
quam est aut gratius bonis, aut uti-  
lius studijs, qui penè soli, qualis  
sit



*sit fututa æterna consuetudo in cœlesti  
Ecclesia, nos admonent, in qua, de ar-  
canis consilijs diuinitatis, de admiran-  
dis naturæ operibus, de causis lapsus  
& restitutionis generis humani inter  
nos colloquemur, & Deum celebrabi-  
mus.*

*Witebergæ die 27. Februarij,  
Anno 1561.*

DECANVS COL-  
LEGII PHILOSOPHI-  
CI IOHANNES CNOR  
Höchstetensis.



*Non sine graui consilio &  
antiquitus instituta est  
consuetudo decernendi  
gradus ac titulos doctri-  
næ, & conseruata deinceps, etiamsi  
non ignoremus de ea nos ab ijs, qui  
QVTO*







ligens exploratio semper amauimus & magnificimus. Nam collationem de dogmatibus verarum sententiarum explicationi lumen attulisse, & artium propagationi plurimum profuisse constat. Et usitate in his congressibus commonefactiones de studijs, multorum industriam & sollicitudinem rectè discendi acuerunt & excitarunt, vt non frustra Euripidis illud celebratum sit: ὀμιλία τέχνας ἔτεκε. Existimamus etiam interesse Reipub. sciri, quorum ingenia & profectus probent ij, quibus doctrinarum inspectio & gubernatio commissa est. Publicam verò testimonij honorifici renunciationem bonis ingenijs calcar addidisse meminimus ad expectendam magis doctrinam artium philosophicarum, quas profitemur, Ecclesiae & Reipub: salutare et necessarias esse.



esse. Quæ autem pars est doctrinæ  
cœlestis aut scientiæ iuris, aut ar-  
tis Medicæ, quæ sine mediocri usu  
artium dicendi & cognitione Phy-  
sices, sine præcipuarum linguarum, li-  
terarum, sine consideratione antiqui-  
tatis, & varia multarum rerum,  
quæ in Philosophia traduntur, do-  
ctrina, aut possit intelligi aut expli-  
cari?

Nec dubium est, quin instituti  
sui in ordinatione graduum doctrinæ  
& has & alias causas habuerit vetu-  
stas. Cuius quidem sapientia & in bo-  
narum rerum constitutione gravitas  
& constantia, meritò optimi Poëtæ  
Versu optimo, commendata est:

Moribus antiquis stat res Romana uirisq;.

Etsi



in Bob. Etsi autem cum dolore memi-  
nimus aliquos à Collegio nostro &  
adiutos et ornatos, postea partim  
avaritia, partim ingenij et naturæ  
prauitate, partim utroq; malo impul-  
sos, aut defecisse ad Pontificios, aut  
alioqui in hanc Academiam matrem  
studiorum suorum vipereos maledi-  
centiæ morsus, seu ventris, seu alie-  
næ gratiæ causa, rabiose conuer-  
tisse: tamen cum omnibus ætatibus  
Ecclesia utrunque hoc malum ini-  
micum et infestum sibi habuerit, hy-  
pocrisin, et impiorum apertas apo-  
stasiæ, et à Filio DEI clementer  
defensa sit, feramus nos etiam vsitata  
mala moderatè, et ea in Filij DEI  
sinu vindicanda deponentes, inuoca-  
tione pia, præstemus sedulò officia  
functionis nostræ, nec deseramus fra-  
tri hominum ingratitude aut malitia  
tia



malitia stationem nostram . Sed vsi-  
tatas operas pro viribus fideliter fa-  
ciamus , freti dulcissima consolatio-  
ne, quæ proponitur in dicto : Labor  
vester non erit inanis in Domi-  
no .

Puniet autem **DEVS** Apo-  
statas , qui contra conscientiam pa-  
lâm in **DEVM** & veram Eccle-  
siam contumeliosi , maledici & bla-  
sphemi sunt , & fuerunt : Thame-  
rum & Staphylum , & alios eius  
farinæ recentiores , quos nominare-  
mus , si vulnerum Ecclesiæ immiti  
contrectatione delectaremur .

Sed hæc **DEO** committa-  
mus , & quod est huius temporis , id  
cum fide agamus . Primùm oramus  
**DEVM** æternum , Patrem Do-  
mini nostri Iesu Christi , crucifixi pro  
F nobis ,



nobis, & resuscitati, vt inter tristes  
regiminum confusiones et docentium  
dissidia, & ex his ortas vbiq; perni-  
ciosas studijs et moribus disciplinae la-  
xationes, Ecclesiam suam, & in hac  
nostram Scholam & nos omnes pa-  
terna clementia seruet, gubernet &  
protegat. Deinde significamus,  
nos ad proximam diem Martis, quae  
erit quarta Martij, honorificum do-  
ctrinae & honestorum morum testia-  
monium, cuius renunciatio publica  
esse solet, de communibus Collegij no-  
stri suffragijs, tribuere decreuisse, his  
honestis & doctis viris, quorum no-  
mina adscripta sunt.

Cum autem propter commu-  
nem inuocationem, & coniunctas ad  
DEVM preces totius Academiae,  
in qua scitis & doctrinam de DEO  
& Phi



Philosophiam bona fide vobis tradi & explicari, & multos ad rectè discendum honestis commonefactionibus crebrò inuitari, vsitatam renunciationem in aliqua frequentia fieri oporteat, oramus Doctores, Magistros, & Auditores, vt indicati diei hora octaua in Collegij auditorio maiore conueniant, ac frequentia sua ostendant, se de studijs literarum & artium Philosophiæ, quarum propagatio Collegio nostro commissa est, beneuolenter & honorificè sentire. Quod & facere omnes æquum est, & ostendere se ita affectos esse, est cuiusdam iustæ ac DEO debitæ gratitudinis & humanitatis.

VI. Non: Martias.

Anno 1561.

F 2

ELE



ELEGIA SCRIP-  
PTA AD CLARISSI-  
MVM VIRVM D. MAGISTRVM  
Paulum Prætorium &c.

**D**Vm uelut orba sedet sublato morte Philippo,  
Quæ schola stat ripis Albi uadose tuis :  
Sapè Deos orans circumspicit, anne bonorum  
Fortè aliquis patris gaudeat esse loco :  
Vtq; puer, tristi cui mater funere rapta est,  
Nutricis querulo gutture poscit opem :  
Astantesq; nurus ad funera respicit, ecqua  
Officium caræ matris obire uelit :  
Et iam si qua fuit, matrem complexa fauore,  
Hæc ad pupillum mollia uerba facit .  
Interdum & uisit mentem testata benignam  
Ipsius in matrem, qua prius usa fuit :  
Sic etiam ad fidos Academia nostra patronos  
Respectum hoc tristi tempore habere solet .  
Hos prece sollicitat, uiuo uelut antè Philippo,  
Officium nobis exhibuere suum :  
Sic pergant, nec mente uelint deflectere ab illa  
Quæ tam sincera nouit amare fide .  
Ergo age præcipuos inter spectate patronos  
Cuius consilijs Marchica sceptrâ uigent :  
Paule decus nostrum, si magna negocia regni,  
Sive ualetudo prospera ferre potest :


Te



I  
I  
M  
bo,  
Te schola præcipuo uult nomine nostra rogatum,  
Ut præsens illo tempore adesse uelis,  
Quando præcipuos illis concedet honores,  
Publica doctrinae qui monumenta petunt.  
Da ueniam, rebusq; ueni non asper egenis,  
Lenimen nostris sic potes esse malis,  
Quòd si nostra fines non pondere uota carere,  
Quæ pro communi nomine fundo scholæ:  
In quacunq; decet causa, tibi Paule uicissim  
Officium grata mente probabo meum.

WVitebergæ: die 24. Februa:  
Anno 1561.

Decan: Colleg: Philosoph:  
Iohan: Knor.





50 +  $\frac{10}{1.39}$

### Errata typographica.


Litera C. 5. linea ultima, redundat dictio cariora,  
quæ bis est posita.

Eadem litera C. col: 6. fac: 2. linea 5. expunge copu-  
lam: Et, & lege: ex interuallo mediocri &c.


Litera D. col: 7. faci: 2. linea 1 8 redundat: Et  
item. Ita est legendum: propensio erga liberos,  
parentes animat &c.

Reliqua, si qua his sunt similia, per se quisq; corri-  
get &c.











AB 50 A <sup>10</sup>/<sub>4,39</sub>

ULB Halle 3  
001 852 698




56



5







(3)

ORATIO,  
RECITATA A  
DECANO COLLEGII  
PHILOSOPHICI, IN ACADEMIA  
*VVitebergensi*, Magistro  
*Iohanne Knor Höchste*  
*tensi*,

CVM DECERNERETUR  
gradus Magisterij Philosophici,  
quadraginta septem honestis &  
doctis viris, quarta die Mar-  
tij, Anno 1561.



VVITEBERGÆ,  
M. D. LXI.